



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi**

**Puente, Luis de la  
Coloniae Agrippinae, 1616**

§. 2. Paupertas

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43347**

honestate, vt nullam corporis sui partem videret. addebatque: valde esse attendendum circa modum iacendi in lecto, vt semper compositio religiosa sit, & honesta: nam, si Religiosi non habent omninò extinctum patiendi desiderium, quid leuius eis euenire potest, quàm non se discooperire in æstate, cum sani sunt, & tegumenta moderata habeant? & quomodo hanc decentiam seruabunt, cum febre aliqua grauius incalescunt, & nemo illos videt: nisi ad eam seruandam sensim assuescant?

## §. II.

## PAUPERITAS.

**S**ANCTAE PAUPERATI fuit valde additus, vt Saluatorem nostrum imitaretur, de quo excelsas habuit cogitationes, vt postea dicemus; & valde persuasus: in ea consistere substantiam Religionis solebat dicere: nemo sibi puluerem in oculos iniiciat; nec sibi de sensis, illuminationibus & spiritualibus consolationibus blandiatur, nisi hilari vultu bolum hunc Paupertatis Euangelicæ ad eò amarum deglutiatur. Tunc autem deprehendet, an illam amet, si eius etiam comites diligit, famem, sitim, frigus & contemptum. Qui enim in vestibis quærit honorem, ne vilis habeatur, non diligit paupertatem; qui, dum sitit, non potest sitim aliquamdiu tollerare, sed animalis alicuius instar proijcit se ad aquam: is non studet paupertati: qui nihil vult sibi deesse, & tamen vult Religiosus haberi, decipitur. Iuxta hunc sensum practica-



cticabat ipse paupertatem, eligens sibi, quod deterius erat, tam in cibo, quàm vestitus, & habitationis commoditate. Imò etiam in ipsa sacristia notabatur, quòd studiosè acciperet pauperiora ornamenta ad Sacrum faciendum, dicens, quod etiam in ea re sese insinuaret vanitas & curiositas.

OPTABAT deesse sibi aliquid etiam in rebus necessarijs: ideoque non solùm nunquam aliquid petijt, sed neque accipere voluit quidquam sibi à multis dominabus, quibuscum agèbat, oblarum; tum vt paupertatem custodiret; tum ne suam amitteret libertatem, mancipium se constituens eorum, qui aliquid ipsi darent. Et quamuis (vt ait S. Hieronymus) sæculares homines ostendant se indignari, cùm non accipitur, quod ipsi donant: ijdem nihilominus pluris faciunt non acceptantem: magna enim est vis ac veritas sanctæ paupertatis. Nunquam induit vestem nouam, sed prius curabat, vt iam facta alius aliquamdiu vteretur; & tunc demum ipse illam induebat. Imò nec novos calceos, donec aliquis alius per dies aliquot eis vsus, iam splendorem recentium amisissent. Exhortationes, quas faciebat, etiamsi magni essent momenti: eas tamen non in munda charta, sed in operculis litterarum scribebat, vt & in hoc paupertatem exerceret. In cubiculo suo aliqua etiam necessaria deerant. Nam cùm Concordantijs indigeret, dicebat, se malle aliquot passus impendere eundo ad Bibliothecam communem, quàm apud se illas habere; vt sic magis coleret paupertatem. Nec aliam sedem apud se habebat, quàm scabellum, aut sedem sine Reclinatorio: &



cum aliquis insignituli, aut dignitatis vir ipsum visitabat, valde lepidè illi dicebat: Dominatio vestra sedeat nunc in hoc scamno, tanquam in domo Pauperum; etiamsi in vestra domo plures sint ac superfluae sedes, in quibus licebit postea commodius sedere: & ipsi Domini plus hac ratione edificabantur, quàm si cubiculum vidissent etiam Imperialibus sedibus plenum. Metinæ donarunt ei semel eleemosynæ nomine sedem quandam holoserico opertam: & tunc dixit, velle se eam in loco totius domus nobilissimo collocare: Quare illam misit ad culinam; vbi tam diu mansit, donec confumeretur, ac dissolueretur: vt no- uitiij ad iuuandum cocum ingredientibus cogita- rent, debere se vitam suam contrario modo insti- tuere, quàm suadeat mūdus; & nihili facere, quod ille facit magni. Horrebat res curiosas, etiā pias, secum gestare, quales sunt Imagines, Reliquiaria, Agnus, Grana & similia, eò quod huiusmodi re- bus nimium cor Religiosi adhærescat: quod pro- dit impatientia, qua mouentur, cum tale quid eis aufertur. Et quamuis id fieret prætextu alijs ea donandi, expedire dicebat, laborem hunc & onus deponere, vt cor in solo Deo suam cōsolationem poneret. quare aiebat, Paupertatis cultores, qui se suis commoditatibus priuarent, experiri illud Davidis: *a Renuit consolari anima mea, memor sui Dei, & delectatus sum*: qui autem suas commodi- tates quærunt non habere hoc excitatorium, vt meminerint Dei, eiusque solatium accipiant. Et hinc inferebat ipse amorè Dei, & fiducia de eius diuina Prouidentia esse compendiosa, at Suffici- entia remedia Paupertatis: verè enim diligenti Deum

*Ironice.*

*a Psal. 76.*

4.



Deum nihil deesse; non quod bonorum abundantiam domi suæ habeat; sed quod in eius anima desit illorum cupiditas: nam nihil desideranti eorum, quæ in foro veneunt, quidquid in eo est, superfluum illi esse. Qui Deum in veritate amat, amorem suum à rebus alijs retrahit; & in hoc vno illum collocat, ut hanc solam obtineat, cuius causa reliqua omnia vili æstimat. Et nunquid negabit Deus frustum panis, non esurienti aliud, quam ipsummet Deum, cum ipse dixerit: *b queri te primùm Regnum Dei, & reliqua omnia adijciuntur vobis?* aut aliud poterit sibi persuadere, qui non uerit ipsius Dei viscera, & consilia, ac media, quæ ipse adhibet, ut quos ad gratum sibi obsequium elegit, à terrenis curis expediat? timeamus igitur & amemus Deum, quia, ut David dixit: *c Non est inopia timentibus eum.*

*s Augustin. ep. 109, melius est minus egere, quam plus habere. b Math. 7. 33. c Psal. 33. 10.*

§. III.

O B E D I E N T I A.

**O**BEDIENTIAM magni semper faciebat, dicens: eam esse rectam Dei viam, qua anima deponit omnia dubia, & perplexitatem; siquidem eam Deus tanquam certam regulam constituit in rebus omnibus, in quibus peccatū nō cernitur: amplectendo & sequendo quod sentit & ordinat vnus homo, qui nobiscum versatur, cui se anima integrè tradit, confidens Deo, quod per tale medium sit ipsam gubernaturus. Et quamuis sæpe eueniat, talem hominē inferiorem esse in literis, virtute, & experientia: non propterea vacillat securitas, si ei obediatur: nā quod Obedientia sit recta no consistit in sapientia, bonitate, & prudentia Superioris; sed in ordinatio-

ne ac